



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

AD LECTOREM.



Riplex Beatorum classis est in hoc volumine, quemadmodum & in primo fuit, & in tertio obseruabitur; Primâ continentur ij, quorum nomina in publicis Ecclesiæ Fastis & Martyrologijs extant; vel ipsa temporum antiquitate in censum sanctorum venerunt; vel auctoritate publica suis in prouincijs coluntur, & in Syllabis Ecclesiasticis leguntur. Alteram tenent, quibus aræ, sacella, ædiculæ, signa publicè sunt posita, quamuis illorum nomina nullis in Calendis reperiantur. Habent enim singulæ ferè nationes Christianæ Aduocatos in celo, quorum nomina intra prouinciarum suarum fines tantum celebrantur, extra non sunt cognita vel euulgata. In postrema collocati sunt, qui piam religiosamque vitam siue intra siue extra cœnobîa, quocumque in statu, sexu, ætate vel prodigijs testatam, vel famâ certâ certisque testibus comprobatam egerunt. Horum omnium classes ita ferè distinctæ sunt, vt in primæcensu, nomen SANCTI habeant præfixum; in altera BEATI; in postrema nullum, sed nomen simplex cum adiecto PIETATIS ET RELIGIONIS cognomine dicti sunt PII religiosique viri, virgines, viduæ, coniuges, pro cuiusque vitæ, statûs, ætatis & conditionis ratione.

Animaduertendum etiam est, Indigenas hosce sanctos appellari, quod in Bauaria vel nati sint, vel in eadem olim vixerint, vel in eadem decesserint, vel proxima sanguinis propinquitate ad Bauaros accesserint, vt qui ex Boijs proximè nati sint, parentesque Boios habuerint, quamuis extra prouinciam vixerint. quo loco sunt Emericus

AD LECTOREM.

ricus Pannonum regis ex Bauara filius, Noitburgis Plectrude Bauara Principe nata, & hoc genus alij aliæque, quos jure Boijs accensos nemo inficias ibit. Postremò in singulis tribus **BAVARIÆ SANCTÆ** voluminibus ordinem temporum seruatum, vt vetustissimi quique suis quisque annis ac deinceps reliqui collocarentur, quamuis in singulis nonnulli sint primo vel altero vel posterioribus seculis descripti. Temporibus enim tractu, dum vitæ colligerentur ac describerentur, alij atque alij noui recentisque occurrebant, primis annis neglecti & inobseruati. Syllabum tamen omnium voluminum generalem, in quo exactè ratio temporum & annorum in singulis est consignata & obseruata, apposui: vt si quando vsu veniat, vt omnia tria volumina simul edantur, suo quisque tempore, anno & loco possit collocari. Scribamus ergo Sanctos & legamus, & quod caput est, imitemur, vt olim in eorum Societatem admittamur.

— ἀλλά μοι ὕμνων,

αὐτῶν ἐν μακάρων ἀνδράξις εἶν ἀμοιβή.

INDEX